



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Antonii Sanderi Presbyteri, S. Th. Licentiati Hagiologivm  
Flandriae Sive De Sanctis eius Prouinciaae Liber vnus**

**Sanderus, Antoine**

**Antverpiae, 1625**

Amelberga Virgo. In Monte Blandinio iuxta Gandauum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10172**

Magni filius suadente S. Adelardo edificare cepit, vt Lambertus Scafnaburgensis tradit, aut anno proximè sequenti vt ex Adamo rerù septentrionaliù scriptore Baronius in annalibus colligit. Fuit autè Adelardus primū Monachus, post Abbas in corbeia Gallica, ex Caroli Magni Imperatoris stirpe prognatus patria & patrimonium illi fuit *uscia* vulgo *Huyffe*, pagus primo lapide ab Aldenarda opido Flandriæ situs, idem & *berthenium* agri Louaniensis pagum in bonis possedit; vtriusque loci etiamnum patronus est Abbas Corbiensis, teste Gazæo. Vitam eius à Surio editā vnus familiarium descripsit, quam plerique Paschalis Ratberto, Sexto illius in Corbeia successori attribuunt. Ioannes tamen Molanus alterius cuiuspiam esse putat; ita Miræus in factis.

## AMELBERGA VIRGO.

*In Monte Blandinio iuxta Gandauum.*

**B**elisiæ à S. Landrada piis moribus institutam fuisse <sup>10. Iul.</sup> tradunt, diu vixit ac demum anno 772 obiit in sui iuris villa Tamisia seu Temseca ad Scaldim in dioecesi Gandensi & agro Wasiano, vbi hodieque tumulus eius ostenditur. Corpus Virgineum Balduinus ferreus Flandriæ Comes anno 890 ad Blandiniense monasterium transtulit. Venit autem, inquit Molanus, consilio S. Willibrordi Belisiam, vt istic à D. Landrada quæ monasterio istic preerat, in pietate formaretur. Brachij eius os confregisse putatur Carolus Martellus princeps, vt eam sibi raperet Sponsam quam etiam plane cepisset vxorem, nisi pudicitia virginalis de eo triumphans penitus obstitisset. Migravit ad Dominum anno 772 aut circiter. Scribit Maffæus ciues Gandauenses (tantæ ipsis olim venerationi &

merito fuit Jvna cum Wilhelmo Episcopo Tornacensi die festum sibi instituisse anno 1331. in monte Blandinio autem frequentior eius fuit memoria, vnde in Martyrologio legitur. Sexto Kal. Nouembris in Blandinio Aduentus Corporis Sanctissimæ Virginis Christi Amelbergæ Decimo tertio Kal. Iunij in Blandinio translatio Corporum Sanctorum, Gudwali Bertulfi cum reliquijs S. Virginis Amelbergæ. Kalendis Maij in Blandinio monasterio translatio Corporis Sanctissimæ virginis Amelbergæ. In picturis pedum vt Abbatissa, quandoque etiam palmam ceu virgo, gestat. Sub pedibus piscem habet, vulgo sturionem dictum quem alij acipenserē vocant. His enim piscibus nauem comitantibus, fertur corpus eius d' uino nutu, aduerso flumine vectum esse. Vitam eius scripsit S. Radbodus vltrajectinus Episcopus numero XIV. ex regia Frisiorum ac Francorum stirpe, vir spiritu Prophetico clarus. Scripsit & eandē Theodoricus Abbas ad S. Trudonem Ord. S. Benedicti in dioccesi Leodiensi ex Monacho Blandiniensi, vti rectè notauit Valerius Andreas in Bibliotheca Belgarum.

## A M E L I A.

*Teneramunde.*

**V**irgo Swiuekana iuxta Teneramundam spiritu Prophetico donata fuit, ait Harduynus in M. Sc. Sanctorum Flandriæ indiculo.

## A T T A

*Abbas Blandiniensis & Vedastinus.*

**A**T T A Monachimum Gandau in monte Blandinio cōplexus ad exemplum multorum sanctissimorum patrum